UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Ioannes Chvzvbita Conf. 3. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

lis injurioſè compellavit, in ipſo veſtigio, moriendo mendacem ſe faſſus eſt, & jam miracula patrare LEODEGARIVM ſi non aliis, certè ſibi credit. *Ex Surio.*

Adſunt defenſores noſtri ſancti Martyres; rogari volunt, & quærunt] ut quærantur. Hos adjutores noſtris orationibus quæramus; hos protectores noſtri reatus inveniamus; quia ne punire peccatores debeat, rogari vult &. ipſe qui judicat. S. Greg. hom.32.

S. IOANNES CHVZVBITA CONF. 3. *Octobris.*

NOn aliud altiùs in hoſtem infernum vulnus deſcendit, quàm quod à demiſſi animi dextrâ venit. Miſerat ad IOANNEM CHVZVBITAM Anachoreten alter Anachoretes Ananias neſcio quem à malo genio inſeſſum. Hunc vix ita noſter compellavit: (Eia cedere, impure, te hoſpitio non tuo, non ego ſed Ananias jubet) cùm verba hæc plena animi demiſſioris jam dudum exoſus fugit ocyùs hoſtis ſuperbus. Et pepererat fama miraculi hujus IOANNI Pontificatum Cæſarienſem. Ille tamen mox iterum urbem cum ſilvis ſuis mutavit, ingens onus infulam ſe abjeciſſe exiſtimans. Secutus Divum ruſticellus filium itidem ab orco agitatum in ſportâ è tecto ſuſpendit, & ecce arrogans iterum pulſus eſt inquilinus. Ergo igitur, ut ultum hic iret dolorem ſuum, IOANNEM præcipitem è monte egit. Sed qui caderet humi ſemper repens animus? riſit ſcilicet veteratorem altiùs longè olim cadentem. Porrò ſub ultimos vitæ annos, cùm IOANNEM cupido cepiſſet, Martiani viri integerrimi viſendi, nec tamen ob catenam, quà

quâ ſe ipſe ad carcerem ſuum beatum damnaverat, egredi antro poſſet; eodem tempore Martianus ipſe inter famulas Cælitum manus delatus adfuit; quo abeunte, cùm animo ſuſpicio præſtigiarum ſuboriretur, altero miraculo ruptæ compedes facultatem dedêre ſpecu prodeundi, iterumque Martiano loquendi. Ad extremum carnis etiam vincula exuit anno ſupra quingenteſimum vigeſimo ſecundo. *Ex Menæis.*

Antiquus hoſtis terrarum locis à tentatione non excluditur: quia ſi in Paradiſo hominem ſtravit, quis locus extra Paradiſum eſſe poteſt, in quo mentes hominũ penetrare non valeat? In ſola ergo Creatoris noſtri protectione fidendum eſt, S. Greg. l. 8. Regiſt. c. 45.

S. FRANCISCVS CONF. 4. *Octobris.*

HIc vir, hic, FRANCISCVS eſt, ſanctioris ſpes altera Romæ, & qui unà cum altero Atlante Dominico lapſurum orbem firmavit. Mercator adhuc fœnus facere etiam apud pauperes ſcivit, neque umquam pluris vendidit ſua, quàm cùm gratis dedit. Evocatus in ſomno ad arma cruce inſignita, cùm novam militiæ teſſeram non agnoſceret, ab ipſo Crucifixo eſt edoctus. Ducem itaque nudum Chriſtum ſecutus, primam pugnam (uti feſtè amat fieri in hoc ſacro bello) cum patre habuit. Et vicit avaritiem paternam, cùm non tantùm omnibus bonis, ſed etiam veſtibus ſe coram Antiſtite exuit, illis verbis hoſtem proſternens: *Patrem hactenus te dixeram: nunc denique nihil intercedit, quin veriùs dicam, Pater noſter qui es in cælis.* Quis credat? Sic nudus tam denique armaturam ſe probè credidit, & ſcriptis ſociis orbem ex-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN